



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XXIII. Vtrùm liceat Sacerdoti ex licentia confitentis reuelare Confessionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Licetne Sacerdoti ex licentia confitentis reuelare Confessionem?

*Quaestio
XXIII.*

Sacerdos de expressa licentia confitentis potest Confessionem reuelare aliquot de causis.

Responsio.

PRIMO, quia in tali casu cessat obligatio celandi Confessionem: Nam cessat ratio fundamētalis praefatae obligationis, quae erat, ne ex reuelatione Confessionis reddatur odiosa, & nimis onerosa ipsa Confessio; sed ubi constat Confessorem reuelare Confessionem expressa licentia confitentis, non idem fit odiosa Confessio ei, qui licentiam propria voluntate dedit, nec aliis, quibus sua relinquatur libertas negandi licentiam praefatam, & concedendi, si velint. Igitur cessat hoc in casu obligationis ratio; & per consequens cessat ipsa obligatio celandi Confessionem; quia cessante causa, cessat etiam effectus. Et ratio legis, est anima legis.

SECUNDO, vnusquisque potest cedere iuri suo absque prauiudicio Tertij; quando ius illud in fauorem ipsius cedentis est constitutum: Sed celatio Confessionis est induta in fauorem confitentis directè, & non in fauorem ordinis, status, officij, aut dignitatis; cum huiusmodi ius se extendat ad omnes peccatores, qui nec in ordine, nec in officio, aut dignitate aliqua sunt constituti, vt constat, ac proinde in fauorem personae con-

fiten-

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

fitentis est institutum, & ita potest quilibet confitens iure suo cedere.

TERTIO, quia id potest quis per alium facere, quod per se facere potest, cum causa iuxta id postulauerit; sed confitens potest suum crimine occultum ob causam per ipsum prodere; imò non solum potest, sed debet aliquando, ut si homicidium perpetravit, de quo non est accusatus, nec infamatus; sed alius innocens, & homicida probatus, licet falso ducitur ad crucem, seu gladium, id sciens verus homicida, potest, & debet se prodere, ut innocentem illum à morte iniusta eripiat, prout scriptum est: Erue eos, qui ducuntur ad mortem. Igitur in simili casu, poterit suum crimen, per Confessarium prodere.

Prou. 24.

QUARTO, quia, si quis Secretum nuptum commisit amico, iure naturali & Divino tenetur illud celare, ubi necessitas revelandi non cogat ad oppositum; & tamen permittum committentis sufficit, ut aliis, quibus ipsis placet, revelet. Igitur pari forma indulgentia confitentis sufficiet, ut Confessarius ob causam, secretum Confessionis revelet.

Questio XXIII. Sufficitne consensus quilibet confitentis ad revelandam Confessionem?

Responsio. **NON** qualiscunque consensus confitentis sufficit, ut Sacerdos possit Confessionem revelare, nisi constet sufficienter de his, coram quibus huiusmodi Confessio fit revelanda.
Nam